



IN NOMINE JESU !
METHODICA
PRÆCIPUO-
RUM ARTICULORUM
FIDEI, SECUNDUM ORDINEM
ARTICULORUM SCHMALCAL-
DICORUM SYMBOLICUM,
REPETITIO,
Cujus
DISPUTATIONEM VII,
De
HOMINE ET IN SPECIE
DE IMAGINE DEI,
PRÆSES
JOHANNES Deutschmann/
D. & P.P. ac Alumnorum Elector. Ephorus,
ET RESPONDENS
M. AUGUSTUS Pfeiffer/
Livvenburgensis Saxo,
proponent
D. Junii Horis consvetis.

WITTENBERGÆ,
Typis Johannis Haken, ANNO M DC LXIII.



IN NOMINE JESU

1. **P**ost doctrinam de *Angelis* etiam doctrinam de *Homine* proponimus, quæ cum primis sub creatione *terra* nobis indicatur, tum quia homo nobilissima terrestrium creaturarum, tum quia homo terræ princeps à Deo creatore suo constitutus *Gen. I. 27. 28.* tum quia homo de limo terræ formatus *Gen. II. 7.* tum quia de terrestribus creaturis solus homo *Theologica consideratione* est: tum quia cōmuniter hæc *symbolica* verba, per *Catechetica* explanationem, ad hominem accommodantur, sicut *B. Luther.* in *Catech. Min.* scribit, hanc esse verborum, *Credo in Deum Patrem, omnipotentem creatorem cæli & terra,* simplicem & christianam sententiam: *Credo, quod Deus creavit ME, unâ cum omnibus creaturis, quod corpus & animam, oculos, aures & omnia membra, rationem & omnes sensus mihi dederit, & adhuc sustentet & c.*

2. Ut a. brevem aliquam doctrinæ de *Homine* repetitionem instituamus, causas ejus potissimum notabimus, si prius hoc loco aliquas & angelorum & hominum differentias & convenientias notaverimus. *Conveniunt homines cum angelis* (1) *Causa efficiente*, quia sicut *Angeli* sunt *Dei creatura* *Psal. CIV. 4.* sic etiam *homines* sunt *Dei factura* *Gen. II. 7.* (2) *Causa finali*, quia tam *homines*, quam *angeli* sunt ad *gloriam Dei* conditi *Prov. XVI. 4.* cum Deus omnia propter semetipsum fecerit; unde certum utrisque respectu Dei ministerium competit. (3) *Statu generali*, quia tam *angeli*, quam *homines* sunt *vera Dei creatura*, nec angelos in creandi consortium Deus admisit, prout nonnulli *Judeorum* fabulantur. (4) *ortu initiali*, quia tam *angeli*, quam *homines* in tempore producti sunt, & à Deo creatore tempore creationis suum esse acceperunt. (5) *dignitate principali*, quia sicut *angeli* præstantissima sunt *cæli creatura*; sic etiam primum inter *creaturas* locum in *terris* *homines* obtinent. (6) *modo creationis aliquali*. Sicut n. *angelici spiritus* omnipotenti virtute creatoris *ex nihilo* producti sunt: sic etiam *homines*, quoad nobilissimam essentia suæ partem, vid. *spiritualem, animam, ex nihilo* suæ creationis initium acce-

perunt. Sicut *homines ad imaginem Dei* conditi, sic idem de *Spiritibus angelicis* nō immeritō dicitur. (7) *nomine generali*, quia tā *homines*, quam *angeli Filii Dei* nuncupātur. Job. 1.6. Joh. 1.12. (8) *eventu accidentali*, quia sicut *angelorū* plurimi turpiter, ex *abusu libertatis*, à Deo creatore defecerunt, & hostes ipsius facti sunt: sic etiam *homines apostatae* facti sunt, & *imaginem divinam* per lapsum gravissimum protoplastorum amiserunt. (9) *beneficio felicitatis communi*: sicut n. ab initio Deus *Angelos* ad coelestis gloriae fruitionem condidit, sic etiam *homines* ad immortalitatem creavit Sap. II. 23. & post lapsum nonnullorum angelorum, in bono reliqui sunt ita confirmati, ut in aeternum non deficient, neque propter specialis gratiae beneficium deficere possint: sic etiam Deus humani generis misertus est, eos à lapsu revocando, redemptorem ipsis donando, credentes in eum aeternum glorificando Job. III. 16.

3. Nec in paucis ab *angelis homines* differre dicuntur. Distingvuntur (1) *Materia*, quia homines ex limo terra formati sunt Gen. II. 7. & *materiale corpus* ad sui constitutionem acceperunt: *angeli* v, prorsus immateriales sunt & in fieri, & in esse, & in operari. (2) *Forma*, quia hominibus data forma informans, videl. *anima rationalis*, quae cum *Materia* totum hominis esse constituit: sed talis essentialis compositio neutiquam, ob spirituales simplicitatem, in angelos cadit. (3) *Natura*, quia natura sua homo dicitur corpus naturale, sed angelus, neq; corpus est, neque physicā constitutionem, aut naturales affectiones admittit. (4) *Proprietatibus*, quia proprietates hominis sunt esse quantum, esse compositum, esse crassum, in loco &c. sed angeli tantum spiritus finiti proprietates recipiunt. (5) *eminentia*, vel *dignitate essentiali*, quia angeli sunt excellentiores creatura hominibus, & donis variis perfectiores, cū spiritus absoluti sint, ab omni concretionem materiali naturaliter immunes.

4. Interim tamen & hoc observandum, quod non omnis pra angelis excellentia hominibus denegari possit. Nam hominibus tribuitur prerogativa (1) *ratione defectionis*, quia primi, qui defecerunt, angeli fuerunt: quod de hominibus dici non potest. & pra:

& præterea dicitur, *Diabolum cum sociis ex proprijs peccasse* Job. II. 4. sed homines potius ex *seductione Diaboli peccasse* leguntur Gen. III. 1. seq. (2) *ratione divinæ commiserationis*, quia Deus non *angelos*, sed *mundum*, i. e. *omnes homines*, dilexit Job. III. 16. (3) *ratione divinæ assumptionis, vel incarnationis*, quia Deus nunquam *angelos*, sed *Abrahæ semen* assumpsit Heb. II. 16. & *Verbum*, seu *Filius Dei* non *angelus*, sed *caro factum est* Job. I. 14. Deusq; non in *angelica*, sed in *humana natura*, vid. in *carne manifestatus est*. I. Tim. III. 16. (4) *ratione plenariæ liberationis*, quia *Filius DEI saluator omnium hominum*, ne utiquam *angelorum factus est* I. Tim. IV. 10. (5) *ratione peculiaris administrationis*, quia nullibi legitur, quod *homines angelorum à Deo Ministri* constituti sint, quod tamen de *angelis* scriptura prædicat Heb. I. 14. eos vid. esse *spiritus administratorios, in ministerium emissos propter eos, qui salutis hereditatem accipient.*

§ Notatis his generalibus, *causas Hominis* breviter attingimus. *Causa Efficiens*, juxta *Schmalcaldicos articulos*, non sunt *angeli*, quod nonnulli *Judeorum* commenti sunt: sed *Unus DEUS, Pater, Filius & Sp. S.* Nā *Deus unus essentia, personis trinus*, hominẽ condidit, quod apparet ex *historia Creationis*, & quidem (1) ex *Creatoris distinctione*, quia *creator in Dicentem Patrem*, λόγον operantẽ, & *Spiritum incubantem*, distinguitur, & voce pluralitatis *Elohim* introducitur: ut igitur hic *Elohim Trinus* aliarum *creaturarum*, sic etiam *hominis creator* extitit. [2] ex *creationis hominis descriptione* Gen. I. 26. 27. ubi *personalem creatoris pluralitatẽ* confirmat (α) *pluralitas tituli*, quia *creator non singulari, sed plurali nomine*, videl. *Elohim*, designatur (β) *pluralitas verbi*, quia *Deus ipse dicit* וַיִּשְׁרָא *faciamus*, quo non *more Magnatum* & πολιτικῶς, sed *more sibi consueto, vel mysterio Trinitatis consentaneo*, & θεϊκῶς, loquitur, multò minus *Angelos*, tanquã *συνέργους*, vel *terrã*, tanquã *materiã*, vel *alias creaturas*, tanquã *spectatores*, sed *semetipsum* allocutus est, prout clarissima textus verba docent. Hinc *August. de fide ad Petrum* pulcherrimè textum hunc illustrat scribens: *Si in illa Natura Patris & F. & Sp. S. esset una tantum persona, non diceretur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudi-*

eundem Nostram. Cum ergo dicit: AD IMAGINEM, ostendit unam
 Naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret: Cum dicit NO-
 STRAM, ostendit eundem Deum non unam, sed plures personas esse.
 Hinc idem (γ) confirmat pluralitas pronomini, NOSTRAM, quod
 itidem aliquam præ se fert multitudinem. Huc etiam perti-
 net, juxta nonnullos, Trina verbi Creandi repetitio, quæ non est o-
 ratoria, sed ad indicandum Trinitatis mysterium, juxta scripturæ
 consuetudinem, satis accommodata, quia post solennem illam co-
 nultationem v. 27. additur executio his emphaticis verbis: Et CRE-
 AVIT Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei CRE-
 AVIT illum: masculinum & feminam CREAVIT eos. (3) Ex creatione
 hominis ad totam SS. Trinitatem relatione: nos de singulis perso-
 nis unicum saltem hic adducimus testimonium. De Patre &
 Filio loquitur Paulus I. Cor. II. 9. Nobis unus est Deus Pater, ex quo
 omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem o-
 mnia, & nos per ipsum. De Spiritu S. Elibi Job. XXXIII. 4. inquit:
 Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis vivificavit me.

6. Causa Materialis (1) non est Nihilum, quia licet anima
 non legatur ex materia producta, tamen de corpore disertis ver-
 bis dicitur, quod illud de limo terræ formatum sit Gen. II. 7. (2)
 neq; rudis & indigesta moles, quia non primo statim die, cum illa
 rudis & indigesta moles nondum esset elaborata, sed die demum
 sexto homo conditus, cum per divinam elaborationem materia
 prioris ruditas desisset. (3) Sed terra limus l. globa Gen. II. 7. Hebr.
 אֶרֶץ, quæ vox in genere significat pulverem, cum primis rariore
 & tenuiore, qualis in superficie terræ reperitur: sed h. l. juxta
 celebriorum Interpp. sententiam notat lutum, vel limum terræ,
 sicut Vulgat. habet, roris sive vaporis irrigatione madefactum.
 Non n. sine causa Spiritus S. verbis immediatè præcedentibus
 terra madefactionem & benedictionem indicare voluit inquit:
 Non pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erit, qui ter-
 ram operaretur: sed vapor ascendebat à terra, irrigans universam
 superficiem terræ. Et mox immediatè sequitur. Sic formavit igitur
 Dominus Deus hominem de limo terræ. Quo spectat etiam
 hominis appellatio, quæ terram אֶרֶץ respicere dicitur.

7. Causa

7. *Causa Formalis* est *Anima rationalis*, quia Deus creator insinavit in faciem spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Hæc anima rationalis ratione originis spirando, vel inspirando facta dicitur, ubi spiratio non humana, sed divina, non respiratrix, sed creatrix, non subjectiva, quæ Deo subjective competat, sed effectiva, quæ ad hominis creationem tendat, non physica l. naturalis, quæ in Deum cadere nequit, sed hyperphysica & supernaturalis, quæ sit sine corpore, sine corporis actu, vel motu, sine corporeo effectum, nobis intelligenda: nã quæ admodum corpus hominis Deus sine manibus & digitis formavit, sic etiã animã sine pulmonibus & aliis mēbris spiravit: nō est essentialis, vel interna, quæ Deū ipsum, & Spiritum S. creatorem respicit, cui P. & Filius ex intimo ore essentia mirabiliter & ineffabiliter essentiam ab æterno spirando communicavit: sed causalis & externa, quæ tendit ad extra, vel ad creaturas, qua Deus spirando humanam animam produxit:

8. *Ratione quidditatis* vocatur נשמת חיים spiraculum vitæ. Spiraculum, vel Spiritus appellatur, tum ratione causæ efficiens, quia est à spiritu infinito, per actum infinitæ vel creatricis spirationis: tū ratione modi productionis, quia per spirationem essentia suã accepit: tum ratione sue formalitatis, quia rationalis anima nihil aliud in se, quam spiritus est: tum ratione spiritalis informationis, quia totum corpus, velut spiritus, permeat, informat & animat ita quidē, ut sit tota, in tota & toto, in qualibet corporis parte. Secundum alios anima dicitur spiritus (1) passive, quia spirando producta, sicut Nazianz. inquit: ψυχή θεοῦ κατ'εὐχὴν ἀνψυχα, Anima est Dei prepotentis flatus. (2) Subjectivè, quia nihil aliud anima, quam spiritus. (3) active, quia, tanquã spiritus, organicum corpus, sibi naturaliter unitū, vegetat ac animat (4) effectivè, quia spirituales edit operationes.

9. Spiraculum a. *Vitarum* appellatur, juxta quosdam, respectu triplicis facultatis vitalis, sive vitæ naturalis, nīm. respectu vitæ vegetantis plantarum, sentientis brutorum, & rationalis, vel intelligentis hominum: licet n. quidditate sit una hominis vitæ, potestate vel facultate tamen varios vitæ sive gradus, sive status
 ino

includit. Alii rectius *animam spiraculum Vitarum* dictam volunt, tum ratione *vita corporalis*, tum ratione *vita spiritualis*, tum ratione *vita caelestis & aeternalis*, quia non ad hanc solum vitam homo conditus est, sed etiam ex intentione creatoris aeternae gloriae caelestis vitae destinatus, quia ad immortalitatem *Sap. II 23* & ad imaginem Dei *Gen. I 26*. creatus.

10 *Finis* hominis alius *respectu Dei*, qui vel *Ultimatus*, nimirum, *Dei gloria*, quae rerum omnium, & sic etiam hominis ultima meta. Vel *subordinatus*, nimirum, *Dei cognitio*, *confessio*, *celebratio*, *gratiarum actio*, & quicquid ad *cultum Dei* pertinet. Alius *respectu sui*, tum *internus*, ut *vitam naturalem* possideret, quem finem homo non tantum obtinuit, sed etiam in lapsu retinuit: tum *externus*, ut ad *aeternam vitam* perveniret. Alius *respectu mundi*, tum *intermedius*, ut in se *compendium* aliquod *mundi* foret, quae de causa communiter etiam à Philosophis *μικροκομ* appellatur: tum *summus*, ut *mundi Dominus* esset, qui *finis* ipsam *consultationem Dei* de *creatione hominis* ingreditur *Gen. I. 26*. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & DOMINETUR piscibus maris, & volatilibus caeli, & bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra.*

11. *Causis* breviter adductis, nec illud nobis negligendum est, quod homo *gemino sexu*, *masculino* scilicet, & *fæminino*, sit productus, tum quia divinae sapientiae talis productio placuit; tum quia historia creationis talem productionem nobis describit. *Gen. I. 27. c. II. 21.* tum quia non erat bonum, hominem esse solum *Gen. II. 18.* tum quia homo ad hanc primam animale vitam conditus erat, adeoque ad generis sui propagationem destinatus: talis a. propagatio sine distinctione sexus fieri non poterat: tum quia non in hac, sed in futura vita homines *ισάγγελοι* esse debebant *Matt. XXII. 30.* Ridicula proinde sententia *Rabbinorum*, de primo homine *androgyno & bicorporeo*, refutatione profus indigna, cum se ipsam ex absurditate sua refutet. Et certum est ex divina consultatione *Gen. II. 18.* ex creationis executione *c. I. 27.* ex utriusque sexus, ejusque creationis descriptione *c. II. 7. 22.* ex utriusque sexus

per

per matrimonium conjunctione, & ex aliis argumentis, Deum non in uno, sed in gemino sexu hominem condidisse.

12. Hæc in genere de Homine sufficient: sed pro diversa conditione diversq̄ homini status in S. L. attribuitur. Est enim status alius integritatis, alius corruptionis, alius restorationis, alius glorificationis: respectu Dei primus est à Deo, secundo sine Deo, contra Deum, tertius ad Deum, quartus cū Deo; respectu nostri primus est creationis vel effectiois, secundus defectiois, tertius refectionis, quartus perfectionis: respectu operationis divinæ, primus est perfectionis institutæ, secundus destitutæ, tertius restitutæ, quartus cōstitutæ, vel consummatæ. Nūc pauca de Statu integritatis afferemus.

13. In Statu integritatis potissimum doctrina de Imagine divina notanda venit, tum quia homo primitus ad imaginem Dei in integritate sua conditus, tum quia perfectio integritatis in imagine Dei consistebat; Sicut n. ad solidam integritatis, qualis in statu primo fuit, explicationem, juxta Venerandum Dn. D. Calov. t. 4 syst. p. 390. plura pertinent, quæ ita recenseri possunt, quod in primo homine fuerit Integritas (1) Mentis (2) Voluntatis (3) Appetitus (4) Corporis humani (5) Integritas vitæ & actionum hominis omnium (6) Integritas Conscientiæ (7) Integritas potestatis & dominii super creaturas (8) Integritas gratiæ & custodiæ divinæ (9) Integritas conversationis & societatis humanæ (10) Integritas voluptatis in horto Paradisi amœnissimo (11) Integritas felicitatis tum temporalis, tum sempiternæ: sic etiam hæc omnia communiter ad imaginem Dei, quæ fuit in homine primo, juxta Theologos referuntur.

14 De imagine Dei notamus (1) Onomatologian. Nam quoad Etymologiam Imago Dei appellatur, cōplexo nomine rē incōplexam significans. Imago dicitur juxta Thom. part. 1. quæst. 93. art. 6. quasi imitago, sive imitationem ago, Vocatur a. imago Dei tū efficienter, quia est à Deo; tum exemplariter, quia suo modo Deus est exemplar, vel prototypus hujus Imaginis: tum materialiter, quia partes vel virtutes Imaginis, hujus Dei perfectiones in

B

suo

fuo genere imitantur : tum *finaliter*, quia hæc imago tendit ad Deum, nos ducit ad Deum, Deoq; nos similes reddit.

15. Quoad *Homonymiam*, Bonaventura in *Compend. Theol. verit. l. i. c. 6.* notat, quod *imago Dei* tripliciter potissimum sumatur (1) pro *imagine equalitatis*, sicut in divinis Filius est imago Patris cœlestis *Col. I. 15.* (2) pro *imagine imitationis*, qua ratione homo dicitur ad *imaginem Dei* conditus *Gen. I. 26. 27.* (3) pro *imagine representationis*, sicut etiam *Mundus universus* est *imago Dei*, vel potius *Dei speculum*, imò *creatura* quælibet ad minimum in *esse suo vero* quandam *imaginem Dei* gestare dicitur. Hic secundam significationem attendimus.

16. Quoad *Synonymiam* dicitur *alias similitudo Dei*, cum hæc *imago* non sit *quidditatis*, sed *qualitatis*, non *equalitatis* sed tantum alicujus *similitudinis*, unde *Gen. I. 26.* hæc duo vocabula, tanquam *synonyma* per $\epsilon\omega\epsilon\zeta\eta\gamma\eta\sigma\omega\iota\upsilon$ conjunguntur, quod contra *Pontif. Bell. l. 1. de grat. prim. hom. c. 2. l. 4 de not. Eccles. c. 9. Staplet. in explicat. Cathol. &c.* nonnullosque *Calvinianos Zanchi. p. 3. de Operib. Dei l. 1. c. 1. Petr. Martyr. Comment. super Genes. & alios* observandum. Vocatur etiam *justitia Originalis* per *synecdochen partis pro toto*, quia *justitia originalis* præcipuam *imaginis divinæ* virtutem specialiter denotat, generaliter a. tanquam *justitia quedam universalis*, totam *imaginem Dei* significat.

17. [2] *Pragmatologian*, quæ primo notat *Existentiam* hujus *imaginis Dei*. Non n. homo creatus dicitur ad *imaginem* (1) *Suam*, quia cum Adam filium ad *imaginem suam* genuisse legitur *Gen. V. 3. imago corrupta*, juxta communem Interpretum sententiam, & ipsius textus convenientiam, intelligitur. [2] Nec ad *Angelorum imaginem* conditus, quod *Sociniani* volunt *Schmalz. refut. thes. Schopperi de Trinit. p. 8.* cū hæc sententia sit $\alpha\gamma\epsilon\alpha\phi\theta$, & *historia creationis* non tantum, sed etiam *naturæ* tum *creatoris*, tum *angelorum*, tum *hominis*, repugnet (3) Sed ad *imaginem Dei* conditus est, quod probatur [1] *ex divina de creatione hominis consubstantione Gen. I. 26.* (2) *ex divina hujus consubstantionis executione v. 27.* (3) *ex frequenti Sacrarum literarum adsertione Gen. V. 1. IX. 6. Sap.*

Sup. II. 23. I. Cor. XI. 7. (4) ab imaginis divina amissione Gen. III. 7.
seq. (5) ab imaginis divina reparatione, quæ fit in nostri renovatio-
ne Ephes. IV. 24. Col. III. 24. (6) à plenaria imaginis divina restitutio-
ne, quam in altero seculo per fidem expectamus I. Job. III. 3. Hæc
observanda sunt contra *Manicheos*, qui hanc imaginem divinam
in homine negarunt, ut habet *August. l. 1. de Genes. contr. Manich.*
c. 17. His affines sunt *Sociniani*, qui si non integram, tamen præci-
pua eminentiam imaginis divinae dubiam reddunt, negantes
donum sapientie *Schmalz. contr. Franz. p. 44. donum sanctitatis &*
justitie p. 51. donum originalis bonitatis Socin. de statu prim. hom. c. 1.
p. 58. donum immortalitatis Socin. in Miscellan. p. 82. & c. statuentes,
quod imago Dei, ad quam homo conditus, quærenda tantum
sit in dominio super creaturas reliquas, non a. in *injusticia quadam*
originali Socin. in prælect. Theol. Ostor. in instit. c. 33. & alij.

18. *Secundò* notat *Essentiam*, ubi generaliter observandum,
quod imago Dei non fuerit (1) ipsa hominis substantia, quod supe-
riori seculo *Flaciani* docuerunt. Nã *substantialis imago Filij Dei* di-
citur, homo proinde, quoad substantiã, imago Dei non erit. [2]
Nec externa corporis humani structura, sicut olim *Anthropomor-*
phitæ & Audiani fabulati sunt, imaginem Dei in structura & line-
amentis externis corporis positam fuisse, qua de causa Deum hu-
mana forma, vel figura corporea præditum esse finxerunt. [3] Sed
potius fuit *eminens quedam & accidentalis perfectio*, qua divi-
nas perfectiones homo suis virtutibus atque dotibus quodam-
modo repræsentabat. Hinc dicitur alias, quod tria fuerint in ho-
mine primo nim. (1) ipsa substantia, vel essentia (2) *Essentia propria*
attributa, vel accidentia (3) *attributorum perfectiones*. Imago Dei nõ
in essentia, nec in essentialibus attributis, sed in attributorum per-
fectionibus consistebat.

19. *Specialiter Essentia imaginis divina* nec melius, nec faci-
lius, quam per causas cognoscitur. *Causa Efficiens Imaginis Dei*
non fuerunt *angeli*, quippe non creatoris, sed *creaturarum* statum
angeli semper habuerunt: nec ex *fatali quadam necessitate* suam
originem accepit, ad quam omnia *Stoici* retulerunt: Sed *DEUS*
solus est causa efficiens, & quidem Deus essentia unus, personis tres,
ut

ut habent *Articuli Schmalcaldici*: quod apparet (1) ex divina col-
locutione Gen. I. 26. [2] ex simultanea deliberatione [3] ex imaginis
hujus appropriation: *Faciamus hominem ad imaginem & similitu-
dinem NOSTRAM*, (4) ex Elohim creantis consideratione. (5) ex
ipsa hominis creatione, quæ v. 27. describitur (6) ex judiciali hujus
imaginis sublatione Gen. III. (7) ex gratiosa hujus imaginis restau-
ratione, quæ P. F. & Spiritui S. passim in S. L. adscribitur. Illius a.
est ἀνάκτισις, cujus fuit ipsa κτίσις, illius est ἀνάπλασις, cujus
fuit πλάσις. (8) ex imaginis hujus appellatione, quia dicitur &
est imago Dei, cum Deum autorem habeat.

20. *Materia* vid. in qua, vel subiectum est homo, non quoad
solum corpus consideratus, ut olim *Anthromorphite* docuerunt;
neque quoad solam animam, ut alii veterum & recentiorum statu-
erunt; sed [1] totus homo, quod colligitur partim ex historica
Mosis descriptione, partim ex divina assertione Gen. I. 26. c. V. 1.
IX. 6. & c. partim ex imaginis divine constitutione, quia dotes &
anime & corporis complectitur; partim ex imaginis amissione;
partim ex ejus restitutione & c. (2) quod omnis homo sit ad ima-
ginem Dei conditus, vid. ante lapsum in Adamo, non post lapsum
in seipso. Nam Adam suos posteros non ad imaginem Dei perfe-
ctam, sed ad imaginem suam corruptam genuit Gen. V. 3. (3) quod
omnis sexus, non tantum masculinus, sed etiam femineus ad ima-
ginem Dei conditus sit, quod hodie contra Socinianos est obser-
vandum. Vid. *Socin. contra Puccinum* c. 2. p. 88.

21. *Forma imaginis divine* consistit ὁλοκλήρως in omnibus perfectioni-
bus status integritatis conjunctim sumtis. Nos impræsentiarū ob
pagellarū angustiam capita perfectionū nec adducere, nec expo-
nere possumus, sed Benevolum lectorem ad Venerandum Dn. D.
Calovium d. l., ad B. Meisn. dec. 1. *Anthropol. d. 1.*, & alios remittimus.

22. *Finis* alius respectu DEI nim. *Ultimus Dei gloria*: subor-
dinatus, *Divine bonitatis, potentie, sapientie & perfectionis mani-
festatio*: alius respectu nostri, nim. *ultimus, aeterna beatitudo*, sed
intermedius nostra perfectio, quoad agnitionem & cultum Dei,
quoad agnitionem nostri, & quoad dilectionem proximi; alius
respectu mundi, nim. *totius mundi & creaturarum aliarum Domi-
nium*, quia propterea homo conditus erat ad imaginem Dei, ut
reliquis omnibus dominari posset.

VO 17

